



R. 28. num. 36.

DE
NATVRA ET INDOLE
HOMINVM PROPRIORVM
IN LVSATIA INFERIORI
ADSPERSIS ROMANI SAXONICIQVE IVRIS
DIFFERENTIIS
EXERCITATIO

QVAM
SVB ABITVM EX ACADEMIA LIPSIENSI

S C R I P S I T

CAROLVS FRIDERICVS AB HEINEKEN
S. R. I. EQVES



239

PR 1371

MENSE MART. ANNO CIOCCO-LXXIV

LIPSIAE
EX OFFICINA BREITKOPFIA



DE

ИАСУИА НАУКА
ИОМНУМ ПРОПРИОВУМ
ИАСУИА НАУКА
АДАМСКАЯ САЛЛОВАЯ НАУКА
ДЕЯНИЯ
ЕКРЕЦИАТИО

САВ АСИЕАМ КА АКАДЕМИА ЛИТЕРАТУРЫ
ТІТЛІС
СОЛAS ТЕХЕНОВА АД ХІННЕРЕН



DE
HOMINIBVS PROPRIIS IN LVSATIA
INFERIORI

EXORDIVM ET RATIO INSTITVTI

§. 1.

In legibus ferendis primam, constat, et maximam boni principis curam eo intendi, ut iustitiae vbiique ratio habeatur: cuius consilii atque propositi summa continetur hoc enunciato: Neminem laedendum esse, suum cuique tribuendum. In hac regula atque norma ineſt principium omnis iuris, quod in ciuitate constituitur: et enim propterea feruntur ac promulgantur leges, ut neque laedatur quisquam, et suum cuique tribuatur.

§. 2.

Vnde facile patet, si quis de legibus recte iudicare velit, ac, iustaene sint an iniustae, despicer, semper eum ad illius pracepti mensuram harum indolem exigere oportere.

A

§. 3.

§. 3.

Nobis quidem animus est, hac exercitatione inquirere, num leges peregrinae, siue exterarum nationum, in Lusatiae inferioris prouinciam eiusque mores et consuetudines possint conferri. Qua in causa, si quidem, quod fundamenti loco posuimus, intueamur, negantium sententiam amplectendam existimamus. Enimuero Lusatiae inferioris mores admodum violarentur, si quis in vniuersum vel ius Romanum vel Saxonicas leges ibi voluerit in usum conuertere. Quare hoc ipsum ne generatim fiat, studiose cauendum et euitandum esse arbitramur.

§. 4.

Habet sane illa prouincia suas sibi leges et constitutiones, quarum complexio nomine Ordinationis Prouincialis (Landes-Ordnung) venit. Nos autem hoc loco non nisi eas leges atque consuetudines istius regionis contemplabimur, quae de hominibus propriis eorumque condicione statuunt.

§. 5.

Erit igitur argumenti, quod tractandum nobis sumimus, haec vis, vt ostendamus, nec leges Saxonicas, nec Romana iura posse ad seruilem conditionem proprietorum hominum Lusatiae inferioris generatim applicari.

§. 6.

In ratione autem atque ordine disputationis nostrae ita versabimur, vt, paucis de Origine seruitutis, deque natura et indole istorum, quos diximus, hominum propriorum, praemissis, ad ipsam deinceps assertionem, quam proponsuimus, firmandam progrediamur.

CAP.

C A P. I.

DE ORIGINE SERVITVTIS IN VNIVERSVM

§. 1.

Origines seruorum ac seruitutis indagare nobis consti-
tuentibus ad antiquissima tempora, quoad recordari
hominum memoria potest, erit reuertendum.

§. 2.

Iam vero seruitutis dictio ad eas notiones pertinet,
quae sine alia quadam non intelliguntur, relatiuas philo-
sophi vocant. Omnis enim seruitus diuisionem hominum
in heros ac seruos supponit. Vnde nobis de vtriusque
horum ortu differendum hic erit; intellecto enim uno
genere, intelligetur et alterum.

§. 3.

Hominem quidem liberum nasci, nemo est, qui ne-
get. Sed, quae nobis insunt inclinationes propensiones-
que, diuersae illae pro diuersitate mutationum, quibus ob-
noxia est vita humana, atque etiam pro educationis varie-
tate, modo sic modo aliter se exferentes ac subinde vehe-
mentiores, hae, inquam, inclinationes quin subiectioni
aliorum erga alios causam dederint, dubitari vix potest.

§. 4.

Sed hoc nobis plus quam verosimile ac paene certum
videtur, primam subiectionis occasionem deberi vinculo
ei, quod inter parentes ac liberos intercedit. Horum
enim naturalis erga illos reuerentia non potest non obse-
quium et obedientiam producere: atque, eodem modo

A 2

postea

DE HOMINIBVS PROPRIIS

postea dominorum in seruos potestatem ortam esse, quis ambigat?

§. 5.

Ac liberos quidem parentibus, a quibus aluntur et educantur, subiectos esse, id quam conueniens sit sanae rationi, luculenter appetet. Neque vero minus consenteaneum rationi est, eos, qui animi corporisue dotibus ceteros superarent, non modo imperium sibi quoddam in imbecilliores sumfisse, sed voluisse etiam ab his dominorum loco shaberi et coli.

§. 6.

Quodsi autem cuique liceret, affectus suos et appetitus sequi: profecto nulla in ciuili societate securitas, nulla etiam libertas, reperiretur. Itaque ipse homo praeuidere potuit necessitatem libertatis connatae certis sub conditionibus restringendae. Atque istae conditiones pri-mum genū legum effecere: subiectioque illa sponte facta fons atque origo est conditionis seruorum omniumque pa-rendi officio adstrictorum.

§. 7.

Quibus temporibus exiguum adhuc erat genus huma-num, fieri facillime poterat, vt ingenium p[re]re reliquis ex-cellens pro capite alicuius hominum societatis se gereret, deinde etiam, vt terram quandam occuparet, quam homini-bus secum in tali societate coniunctis colendam traderet. In hoc certe positum erat omne p[re]mium virorum, fortitudine ac p[re]stantia tum animi tum corporis alios p[re]e-dentium: aut, vt aliis verbis vtar, horum illustrium vi-rorum finis eo vnicē tendebat, vt alios sibi subiicerent, qui

ad

ad ipsorum utilitatem colerent agros, atque inde illis vitae
subsidia et alimenta paeberent.

§. 8.

Caeterum quo maior esset et amplior is terrae tra-
ctus, quem quis pro fortitudine sua occupasset, eo maiorem
istius partem inter singulos ex ea societate sibi subiecta di-
stribuere debebat. Amicis quidem et, quibus praecipue
faueret, fertiliorem latioremque regionem concedebat. At-
que hinc orti sunt, qui vasalli dicuntur, h. e. nexus feudali
cum domino iuncti: quibus partem superfluam agrorum
denuo seruis suis concedere permisum erat. Quos autem
agros sibimet ipse reseruauerat dominus, eos a seruis an-
cillisque coli et exerceri oportebat: et, vbi quasdam eorum
glebas aliis traderet, certas sibi conditiones stipulabatur,
sive annui cuiusdam census soluendi, sive operarum in re-
ognitionem beneficii accepti praestandarum: vnde tribu-
tariorum operas, earumque exactionem origines ducere,
res ipsa docet.

§. 9.

Praeterea, huiusmodi subiectos vna cum liberis ne-
cessitate apud dominum perniciendi, quin etiam, si in
aliam regionem migraret, eum sequendi, et vniuerse iussis
eius parendi adstrictos fuisse, non solum experientia testa-
tur, sed etiam rationi quam maxime conuenire videtur.
Fingamus igitur, facultatem fuisse seruis abeundi, quo
voluerint, ac pro suo cuiusque libitu agendi: profecto,
quem finem dominus intenderat, eum consecutus haud
fuisset: quippe incultae mansisset regiones, quas occupa-
rat, atque ipse alimentis caruisset.

A 3

§. 10.

§. 10.

Tales olim seruos ancillasque habuit, auctore Mose, Abrahamus, homines sibi vt domino subiectos, qui partim vernae, h. e. in tractu terrae, quem teruerat, nati, partim adsciti erant: quod ipsum documento est, illis iam temporibus genus aliquod hominum proprietorum exstitisse. Idem ille, cum, fratrem in captiuitatem deductum esse, comperisset, seruos, quos habebat trecentos et duodecimgenti, prouocauit ad arma, eorumque cohorte stipatus fratrem liberauit. Vnde patet, istos homines ita ei subsuisse, vt ad omnia seruia, cuiuscumque generis essent, ipsi praestanda obstringerentur.

§. II.

Apud omnes certe gentes omni memoria seruitutis quaedam species vsu inualuit, modo seuerior illa, modo mitior. Cum autem maiorum subinde opum acquirendarum cupiditas inuasisset animos heroum, quibus imperium societas contulerat: necessario bella cooperunt conflari: atque inde, qui ab hostibus capti aut praelio deuicti essent, in manum potestatemque victoris redacti sunt, detrusique in duriorem seruitutem, quod vsque eo processit, vt ipsum ius vitae ac necis in talem seruum sibi victor arrogaret. Quae seruitutis forma non nisi barbaras apud gentes nostris quidem temporibus obtinet, vt pote religioni christianaee prorsus contraria.

CAP.

C A P . II .

DE ORIGINE SERVITVTIS APVD ROMANOS
ET GERMANOS

§. 1.

De origine atque natura seruorum apud Romanos aequac Germanos fuisus egit Potgiesserus. Quare nos istis omnibus copiose tractandis supersedere possumus, dum hoc vnum adiicere liceat, apud Romanos in seruitutem deductos fuisse hos in primis, qui bellis cum hoste aliquo vicino gestis commissisque praeliis superati captique essent. Et, quae definitio seruitutis in corpore Iuris Iustinianei habetur, haec ipsa docet, ad modos seruorum faciendorum in primis pertinuisse captiuitatem bellicam. Etenim seruitutem Iustinianus ait esse constitutionem iuris gentium ^{*)}: quod nullam aliam vim habet, quam hunc sensum, inter gentes ita esse constitutum, vt, quicumque in manus hostium incurreret, is seruus fieret. Vnde et Romanorum tanta tamque immanis in seruos faeuitia. Quotus enim quisque mitis est in hostem? Sane humanitatem excessit ista Romanorum faeuitia in seruos: quorum conditionem interdum peiorem brutorum conditione fuisse nouimus, atque adeo, mortem saepenumero eos seruituti praetulisse, nemini, qui hoc legerit, mirum videatur.

§. 2.

Ad nomen seruorum quod attinet, id inde trahi, consentiunt, quod Imperatores perpetuis ministeriis addicere, quos deuicissent, aut eos vendere consueuerant: atque hoc modo

*) §. 2. I. de iure person.

modo, cum eos a caede *seruassent*, hi propterea *seruati*, ac deinceps, contracta voce, *serui* appellati sunt.

§. 3.

Inter veteres Germanos paetitiam seruitutem maxime, ac fere solam, in vsu fuisse, scriptores testantur, in primis que Iulius Caesar in bello Gallico⁴⁾. Successu autem temporis, cum magis magisque innotuisserent iis Romanorum mores, et ipsi captiuitatem bellicam, tamquam modum seruorum nanciscendorum, introduxere. Sed nunquam apud Germanos tam rudis atque inhumana seruitus, quam apud Romanos, exercebatur: erat enim legibus⁵⁾ constitutum, ut nemo, nisi qui sponte se in seruitutem traderet, libertate priuaretur. Ex eo per similitudinem colligi potest atque concludi, neminem in Germania, sub conditione Romanae dominationis, iugo se seruitutis submisso.

§. 4.

Duo quidem genera seruorum inueniuntur apud Germanos, eaque diuersis nominibus distincta: alii nimirum *Seruorum* appellatione veniunt, alii *Lassorum*. Illorum operis domini pro arbitrio vtebantur in ministerio domestico per eosque acquirebant, sed vicissim iis alimenta suppeditabant, uno verbo, ea omnia iura, quae a Romanis in suos seruos exerceri moris erat, in illos usurpabant, demta immodicæ crudelitatis barbarie. Hi autem, quos Lassos vocauimus, plane proprii ac peculiares fuerunt populis Germanorum. Et, qua seruitute hi adstricti erant, eam, tenendum est, mitissimam naturaeque humanae praeter omnes alias maxime conformiem fuisse, quod ex ipso horum

4) Lib. VI, cap. 13.

5) Leg. Baiuuar. Tit. V, §. VI.

rum hominum statu atque obligatione cognoscitur. Erat autem indoles eorum haec: De parte ruris ipsis tradita Domino annum censum praestabant, consistentem in fructibus agrorum: quo vinculo quid poterat esse naturalius? Quidque magis conuenire his, qui rus colerent? Praeter hos fructus, quos domino census nomine solui oportebat, quicquid ex agrorum cultura et re pecuaria per suam sibi industriam prouenisset, sibimet ipsis acquirebant. Qua de causa fuerunt, qui dubitarent, an vere ac proprie seruorum iure illi Lassii censendi sint. At enim cur dubitemus? Nostri quidem homines proprii, quos Lusatia habet, eiusdem fere conditionis sunt, et tamen seruis hominibusque propriis annumerantur.

§. 5.

Talis itaque primis temporibus status seruorum fuit apud Germanos. Ex quo non potest non magna nobis laetitia enasci, cum maiores nostros cogitamus ea in re tam conuenienter sanae rationi versatos esse: nam huiusmodi seruitutem humanitati haudquam repugnare, omnes largientur. Ius quidem vitae ac necis dominis in seruos non competit, Iulius Caesar auctor est, quamquam idem, a domino interdum ex impetu atque aestu iracundiae seruum occisum esse, haud negat: quod denuo, quantum Germani hac in causa Romanis praefiterint, indicio esse potest. De caetero conferatur is, quem laudauimus, Potgiesserus.

B

CAP.

CAP. III.
DE ORIGINE SERVITVTIS IN LVSATIA
INFERIORI

§. 1.

Quod saepenumero fit a viris doctis, vt, vbi certam rei veritatem eruere non possunt, intra opinionum praefidia se recipient, easque, tamquam si pro patriae salute pugnetur, acerrimo studio summaque pertinacia defendant, atque interdum sententiam satis ineptam argumentis ineptioribus superftruant: id nuspian magis, quam in rerum gestarum memoria, fideque historica, vñu venire videmus. Ita, si exemplo vti licet, in originibus gentium indagandis mirum est, quantae dissensiones eruditorum hominum emergant, quanta varietas deprehendatur sententiarum, quarum verissimilitudinem pro suo quisque ingenio metiuntur.

§. 2.

Atque vt, quod diximus, in hac idem causa nostra valere, intelligatur, non possumus dissimulare, scriptorum aequalium ac domesticorum penuriae in primis tribuendum esse, quod origines populi Lusatici, vti omnium Germanicarum gentium, maximia obscuritate laborant. Nequē vero minor harum tenebrarum causa deprehenditur in eo, quod, qui de antiquis populis commentati sunt, scriptores nimis se proclives exhibuere in mutandis nominibus gentium. Lusatiam certe superiorem priscis temporibus Marcam Milzienam appellatam fuisse, perhibent propterea, quod in illa regione Slaui Milzieni habitarent. Inferiorem autem illius terrae partem Marcae orientalis atque incolas eius Slavorum orientalium ^{d)} nomen tulisse, pari testium au-

^{d)} Chronicon Montis Sereni, p. 201.

ctori-

Etoritate comprobatur. Aliarum etiam prouinciarum et gentium nomina mutata saepius fuisse, fere innumerabilibus exemplis doceri potest.

§. 3.

Sed Slauos omnium primos Lusatiae nostrae inferioris regiones coluisse, quamquam communis eruditorum opinio fertur, tamen affirmare certo non licet. Etenim illo communi Slavorum nomine tot gentes innotuere, veluti Slavi Sorabi, Milzieni, Orientales aliisque, ut omnino aliud discrimen debeat afferri, si, quae gentes ab initio has regiones occupauerint, clarius certiusque cognoscere velimus. Slauos igitur istius terrae habitatores dicere perinde est, ac si Germanos asseras in Saxonia habitare. Vandali sane, qui haud dubie antiquis temporibus Lusatiam cepere, id quod ex ipsa lingua Vandalica probari potest, quae ortum e sermone Slauico trahit, et hodienum apud nos viget, illis sedibus non sunt diu commorati, sed in eas regiones migrauere, quae meridiem versus spectant. Lusici vero iam apud Ptolemaeum occurrunt: idque gentis nomen pro situ descriptione non incongrue posse intelligi de inferiori Lusatia existimamus, et si hoc ipsum ultra limites probabilitatis neutiquam animus nobis est extendere.

§. 4.

De caetero bellicosissimos fuisse populos Slavorum Vandalorumque, neminem latet. A victoribus quidem interdum depellebantur: sed iidem alios vicissim fauente fortuna depellebant: atque inde perpetua viciſſitudo impellantum. Nec minus probabile nobis videtur, ex codem, quasi fonte, fluxisse seruitutem in his regionibus. Licet

B 2

enim

enim ex eo colligere, qui bello victi essent, vi adactos fuisse a victoribus, vt seruitutis iugum subirent, cum alias nullum ex victoria emolumentum redundaret. Veteri autem memoria, opes et bona in diutiis agrorum ac multitudine seruorum ad fundos colendos necessariorum constitisse, nouimus, omniumque bellorum non aliud quam hunc finem fuisse.

§. 5.

Haec pauca de origine atque initiis seruitutis sufficere nobis videntur, hodiernam Lusatiae inferioris seruitutem exponere cogitantibus. Quare nunc expeditius ad propositum nostrum nos accingamus.

CAP. IV.

DE HODIERNA SERVITVTE IN LVSATIA
INFERIORI

§. I.

Quantum vtilitatis afferat, cuilibet arguento illustrando et distinctius explicando, significatio verborum diligenter euoluta, facile quisque intelligit, eiusque rei multa nobis et luculenta exempla prodit historiae litterariae apparatus. Saepe enim eruditos homines, vbi, neglecto officio definiendi, vocumque sensum constituendi, nihilominus super aliqua re controuerfiam mouerant, ad ultimum ingenuo profiteri oportuit, se prorsus inuicem non dissensisse.

§. 2.

Ita seruos aut potius agricultos in Lusatia inferiori homines proprios appellari, quibusdam plane non probatur hac

hac de causa, quod eos hoc nomen haud satis discernat ab seruis Romanorum. Malunt igitur glebae adscriptos nominare, quod isti homines glebae, quam colunt, vtique adhaereant, cum eaque a domino vendi, donari, permutari, aliis ex causis tradi possint. Sed eam rationem nos minus idoneam arbitramur. Etenim, quod glebae adhaerere dicuntur, in eo sane haud positum est discriminem, quo isti Lusatiae serui differunt ab aliis agricolis; vt qui et ipsi cum fundo possunt alienari. Vbique terrarum qui subiecti sunt, seu coloni liberi, vendito fundo herili transferuntur in nouum dominum, etiam si nulla sint seruitute obstricti. Hac igitur denominatione glebae adscriptorum, certum est, naturam seruorum Lusaticorum nequaquam exhaustiri.

§. 3.

Iam vero, qui cum libertate subiecti sunt, in eo distant a nostratis, quod possunt illi quidem agros vendere atque in aliud se territorium conferre: agricolis autem Lusatiae inferioris ea facultas haud datur: neque ipsis licet territorium mutare, nisi prius acceptis a domino fundi litteris manumissionis: dominium autem glebae, quam colunt, nullum habent. Ordinatio Provincialis¹⁾, hos seruos Lusatiae inferioris, ait, comparandos esse *Colonis censuibus atque originariis*: quae comparatio satis congrua eorum videtur naturae, quamquam aptius ab aliis *praedio annexi* vocantur.

§. 4.

Nunc ipsam seruitutem, quidque hac voce intelligi velimus, opus est, vt definiamus. Est autem seruitus apud

B 3

nos

¹⁾ Tit. II. §. 7. so seynd sie doch den alten colonis censitieis und originariis meissens zu vergleichen,

nos conditio eiusmodi, qua quis ita subiacet potestati herili, vt ad quosuis labores, abdicato suae ipsius commoditatis iure, cogi possit, ne a domino necessaria vitae subsidia gratis consequatur. Haec notio seruitutis generalior, ad eam, quae in Lusatia deprehenditur, potest optimo iure applicari: quare nos eadem in praesenti sequamur.

§. 5.

Primo itaque loco rationem habebimus *domini*, ad quem fundus iure proprietatis totus pertinet vna cum agris, quos tenent homines ei subiecti, siue proprii: qua ex ratione obligatur etiam ad praestanda omnia onera, quae fundo inhaerent, et quae Principi sunt solienda, nullo intuitu numeri eorum, quos sibi subiectos alit. Deinde *seruum* spectabimus, qui a domino fundi partem glebae cum habitatione accepit ne minimo quidem pretio soluto: quae glebae acceptatio hominem proprium efficit, qui antea liber erat. Per eandem is obstringitur, vt ne sine domini consensu hanc glebam sibi concessam possit derelinquere: vnde et homo proprius vocatur. Huius autem erga dominum obligatio nititur profecto summa aequitate, atque in promptu est eius ratio: alias enim non posset non laedi dominus, quippe, vti iam dictum est, obligatus ad soluenda omnia onera, quae fundo inhaerent. Fingamus itaque, aliquem, hoc modo subiectum, posse a fundo pro luhitu decedere, ipsique iniuncta seruitia porro denegare: nonne inde gravissimum damnum sentiat dominus? Pari ratione idem laederetur, si liberis proprii eiusmodi hominis facultas daretur a fundo sine impetrato consensu aufugiendi. Qua de causa etiam liberi Seruorum Lusatorum in habitatione villatica, quam vernacula dictione *Nahrung* edimus, debent

bent permanere, atque eam aliamue, prouti domino placuerit, mortuo parente accipere. De ipsis porro *glebae* natura necesse est, vt videamus, eius nimirum terrae, quam, vt diximus, talis seruus accipit, quaeque *praedium lassiticum* (*Laßgut*) vocatur, ideo, quod in eum non iure dominii sed lassitico transfertur. Pro magnitudine sua *glebae* vario modo variisque nominibus distinguuntur. Exstant enim, vt patro sermone vtamur: 1) *Ganzhüfner*; 2) *Halbhüfner*; 3) *Cossäten*; 4) *Gärtner - Mährung*. Denique omittere non debemus *conditiones*, quibus *lassiticum* *praedium* seruus accipit: quae comparatae esse debent pro indeole ac modo fundi, solentque super iis dominus et seruus inuicem pacisci. Hae ipsae autem, vbi bene constituta *praedia* reperiuntur, in scripturam sunt redactae, cui *Vrbario* nomen. Hoc igitur *Vrbarium*, seu legum pactitiarum corpus dixeris, praelegitur ei, qui ad *glebam* colendam se obtulerit: quo facto ad eas seruandas iureirando adstringitur.

CAP. V.

DE ORDINATIONE PROVINCIALI LVSATIAE INFERIORIS VVLGO

Landesordnung

§. I.

Quae hoc nomine venit, singularis constitutio est, ex qua omnia iura obligationesque inter dominum et homines proprios dijudicari debent. Inseruet igitur nobis ad fidem faciendam eorum omnium, quae de vna alteraque parte istius vinculi herilis proferemus: continet enim peculiares inferioris Lusatiae leges et consuetudines, quibus haec ab aliis prouincia differt. Iam vero ex iis, quae capite

capite praecedenti breuiter exposuimus, manifeste sequitur, hanc regionem placitis moribusque sibi soli propriis regendam esse, ne, iure peregrino applicando, domesticae constitutiones violentur atque euertantur. Verum haec nobis non videntur sufficere: quapropter consecutaria nonnulla cum rationibus ex illa Ordinatione depromtis postea subiungemus, quo melius veritas asserti nostri perspiciat.

§. 2.

Iam inde a vetustissimis temporibus Lusatiam inferiorem inter prouincias iuri Saxonico subiectas fuisse, nemo facile inficias iuerit. Tanta enim auctoritate ius Saxonum semper valuit, vt multae id gentes reciperent. Complura eiusmodi exempla tradit historia iuris, ex quibus eluiscit, alias subinde gentes aliarum iura sibi adsciuisse. Sic leges suas omnemque iurisprudentiam Graeci ab Aegyptiis petiere: Romani eiusdem scientiae primordia retulerunt ad leges XII. tabularum, quas, quis nescit, Graecis deberi, vnde per legatos illuc missos Graecarum ciuitatum iura Romanum delata erant: ipsi Germani ius Romanum, quod corpore Iuris Iustinianeo continetur, in ditionibus suis adoptauere.

§. 3.

At contra nos in hac causa nihil ista omnia faciunt, cum vsum non habeant iura peregrina, nisi saluis semper consuetudinibus legibusque patriis, quae abrogatae non fuerint: in harum enim subsidium illa sunt recepta. Per multae autem consuetudines vetustae in nostra Lusatia inferiori vsum retinuerunt suum: quod patet ex Ordinatione Iudicii Prouincialis, quo in iudicio soli nobiles Lusatiae inferioris conueniri possunt, vt in foro, quod ex priui-

priuilegio sunt na*chi*. Pariter hos antiquos mores patrios ibi et hodie usurpari, cognoscitur ex eo, quod Ferdinandus I. Imperator omnia Priuilegia immunitatesque Marchionatus Lusatiae inferioris in vniuersum confirmauit. Ipsa denique Ordinatio illa Prouincialis, a Proceribus prouinciae confecta, confirmataque a Christiano Duce Saxoniae, non minimum pondus addit nostrae assertioni.

§. 4.

Quamobrem in Lusatiae inferioris iudiciis iura Saxonica et Romana vi atque auctoritate non alia, quam subsidiaria, nec nisi quibusdam in causis, pollent, quatenus id fieri potest sine violatione legum prouincialium: quibus demum deficientibus permittitur, secundum Romanas et Saxonicas iudicare.

§. 5.

Hactenus vniuerse diximus de Ordinatione Prouinciali, ut fonte omnis iuris obligationisque dominorum erga seruos et vicissim. In sequentibus liceat nobis enarrare singula, quae speciatim ratione huius nexus constituta sunt: nam in hoc totius exercitationis nostrae cardo vertitur: vnde apparebit, nihil fere posse, neque ex iure Saxonico hodierno, neque ex Romano, deduci atque ad usum conferri hoc in argumento, quin vnius alteriusue partis gravissima laesio sit metuenda.

C

CAP.

CAP. VI.

DE DOMINIO AC IVRE, QVOD INDE
NASCITVR

§. 1.

Et si ab instituto nostro non videatur alienum, vniuersam dominii naturam atque indolem copiosius hic expondere: summam enim argumenti, quod tractamus, cum illo coniunctam esse, eoque non intellecto nec ipsum intelligi posse, apparet: tamen magnopere veremur, ne superuacaneum laborem suscepturi simus, si, quid sit dominium, velimus hoc loco multis demonstrare, cum, neminem id ignorare, merito supponamus, quamvis variis variorum definitionibus ea res inuoluatur magis, quam explicetur. Neque minus inter omnes constare iudicantur, societatem ciuilem sine priuatorum dominiis nullam esse, neque posse subsistere: quapropter etiam omni tempore id ius inuiolatile habitum est, neque licet principi caeteroquin liberrime imperanti, quemquam in eius exercitio turbare, quin hoc ipso in tyrannidem imperium transformetur. Neque vero ulli alii, quam domino, datur ea facultas, qua de re sua pro arbitrio statuit, solusque ille rem cum suo iure in alium transferre potest. Ac profecto iam ex aequitate naturali descendit illa dominiorum sanctitas: quibus violatis, non posset non pax externa turbari, euertique illud, quod primo loco posuimus, principium iustitiae: *Suum cuique tribuendum.*

§. 2.

Sed ad Lusatiam inferiorem reuertamur. Ibi, qui totum fundum equestrem possidet, singulorum etiam sibi subiecto-

iectorum agros dominio suo complectitur atque comprehendit. Re itaque accuratius expensa, secundum ea, quae ante diximus, soli domino fundi ius est de istis habitationibus villaticorum hominum, seu rus colentium, statuendi. Vnde, cum nullius dominii capax sit homo proprius, sequitur, illum eundem praedii dominum in solidum obligari ad onera prouincialia, quae fundo eius inhaerent, praestanda.

§. 3.

Cuius autem praedio Lusatiae inferioris, siue equestri, (Rittergut) siue dynastiae, (Herrschaft) certa aestimatio imposita est, quae normam efficit distributionis onerum a tali praedio ferendorum. Et quanquam ius collectandi, quod dicitur, dominus exercet, sibique subiectis, pro conditio ne habitationis villaticae, partem illorum onerum imponere potest, hisque cum eo valide contrahere licet: ipsa tamen solutio ad dominum pertinet, etiam si deterior fieret conditio hominis fundo annexi, usque eo, ut non amplius versaretur in conditione soluendi. Ratio autem, propter quam dominus ipse, non homo proprius, ad soluenda tributa obstringitur, posita est in eo, quod illi competit dominium agrorum, quibus adscriptus est adhaeretque ser uus ipsius.

§. 4.

Vnde et ulterius deducitur, huiusmodi annexum in Lusatia inferiori nullo modo legitimate posse nec de ipsa gleba, ei iure lassitico concessa, neque de rebus mobilibus, inuentarii nomine a domino acceptis, statuere: etenim ad fundi dominum omnia pertinent, omniaque hic iure dominii possidet.

C 2

§. 5.

§. 5.

Ordinatio Prouincialis Lusatiae inferioris vbique in hac causa vtitur vocabulis acceptandi (annehmen) et habitandi (beziehen). Disertis item verbis in eadem legitur ^{f)}, tali subiecto a nullo alio, quam domino fundi, dari posse litteras manumissionis. Quo ipso declaratur, nihil eum iure proprietatis ac dominii possidere, praeter peculum; alias enim sibi ipse, vt ita dicamus, istas litteras dare posset, siue potius nullis omnino indigeret ^{g)}.

§. 6.

Nec solum in ipsam personam hominis proprii iure suo vtitur dominus fundi, verum etiam ratione liberorum illius idem exercet; tota igitur familia dominio eius subiecta manet. Ea de re claris verbis loquitur Ordinatio Prouincialis ^{h)}, omnesque ab eiusmodi subiecto natos, ait, obstringi,

f) Tit. VI. §. 1. Solcher Erlaßbrief aber kann den Unterthanen von Niemanden anders ertheilet werden, als von dem Eigenthumsherrn des Gutes.

g) Cum ciues agrestes in Pomerania eiusdem fere conditionis sint, operae pretium erit, verba der Pommerschen renovirten Bauer- und Schäfer-Ordnung de anno 1666 Tit. IX. subicere: Ob auch wohl in unserm Herzogthum und Landen die Bauern keine Emphyteutae und Erbzins- oder Pachtleute, besondere Leibeigene, homines proprii et coloni glebae adscripti seynd ic. Wie denn auch die Bauern und coloni gar kein dominium nec directum nec vtile, auch keine Erbzechtigkeiten, nec ex contractu emphyteutico, nec libellario, nec censuali, weder eigenthümlich, noch sonst daran haben; vielweniger exceptionem perpetuae coloniae, und, daß sie und ihre Vorfahren über funfzig, sechzig, auch wohl hundert Jahre die Höfe bewohnet haben, vorwenden können. Derowegen denn auch die Bauersöhne ohne Wissen der Obrigkeit, als ihrer Erbherren, sich andernwo niederlassen, und domicilium nicht nehmen mögen.

h) Landesordnung, Tit. II. §. 6. Alle, die nun von solchen Eltern ic. gebohren, seynd unterthänig, und, unter solcher ihrer Herrschaft zu bleibben

stringi, vt sub herili dominio maneant, item, vt vel patris, post huius mortem, vel etiam aliorum glebas accipient. Quodsi ergo Dominus vni ex liberis, siue maior sit natu, siue minor ⁱ⁾, paternam aliquam glebam obtulerit, eam hic repudiare non potest: quod ita procedit, vt, si aliunde vxorem duxerit, nihilominus manere, atque hanc ipsam secum in fundo accepto habere debeat. Quae omnia documento sunt, eiusmodi colono nullum dominium tribui neque sui ipsius, neque glebae acceptae. Quomodo enim dominus dici aut haberri potest, qui nullum plane ius habet mortis causa de gleba statuendi, eamque huic vel illi ex liberis relinquendi? E contrario totum pendet ab arbitrio herili, vtrum prius an posterius genito, an potius peregrino glebam tradere velit. Quem vero ex liberis dominus elegit, is vtique ad glebam accipendam cogi potest. Ex quo facillimum erit iudicatu, quid de iis sit sentiendum, qui talibus glebae annexis in Lusatia inferiori, ratione praediorum laffiticorum, non dominium quidem, quod vere ac proprie dicitur, sed tamen ius possessionis rerum corporalium et incorporalium, quin etiam ipsum ius transferendi dominii vtilis, adscribere non dubitant? Profecto non aliunde pro-

C 3

manat

ben und Güter anzunehmen schuldig, und zwar der Älteste oder Jüngste, welchen die Obrigkeit unter ihnen erwählt, soll, nach Absterben des Vaters, das väterliche Gut beziehen, die andern aber unter solcher ihrer Obrigkeit, ob es auch gleich in einem oder andern derselben zustehenden Dorfe wäre, andere müsten Güter anzunehmen verbunden seyn ic.

i) Ibid. Tit. et §. eod. und zwar der Älteste oder Jüngste, welchen die Obrigkeit unter ihnen erwählt. Porro conferatur Landesordnung Tit. III. §. 3. — des Vaters ältester oder jüngster Sohn, welcher nach jedes Kreises Herkommen und Gewohnheit das väterliche Gut vor denen andern Kindern anzunehmen schuldig, ob er gleich in eine andre Herrschaft heyrathet, dennoch bey des Vaters Gut zu bleiben, und seine Braut dahin zu führen, und dieselbe ihm zu folgen verpflichtet.

manat horum falsa opinio, quam, quod promiscue Ius Romanum atque Saxonicum conferunt ad Lusatiae inferioris statum: quod haud quaquam fieri debere, quis dubitauerit ^{k)}?

§. 7.

k) Videntur nobis hoc loco notatu digna, quae Meuius habet in libro, cui inscriptit: Bedenken vom Zustande der Bauerleute: Wie aber der mehrere Theil dixer, so den Titel eines Rechtsgelehrten sich annasen, der Unart ist, daß, wenn sie von denen Dingen und Gewohnheiten, so in Deutschland sich heutiges Tages begeben, urtheilen sollen, auf des Römischen Reichs vor Alters gemachte Satzungen und Ordnungen alleine sehn, dabei aber vergessen, daß die Zeiten und mit denselben alle Dinge veränderlich seyn, darum zum öftern weit verschien und sich stößen, so geschieht dasselbe auch in dieser Materie, si die Bauerleute, die man zu diesen Zeiten findet, angehet, denen viele alles ohne Unterschied, was man in iure veteri Romano von den agricolis, colonis adscriptitiis, rusticis und dergleichen Leuten lieget, applicieren und darnach ihre Meynung richten; da sie doch zuerst diejenigen, so an sich ganz unterschiedener Condition gewesen, confundieren, und wenn, was von jenen gesetzet, allein auf heutige Bauerleute soll gezogen seyn, ihre Unwissenheit an den Tag geben, daneben durch die übel zu stimrende Application zu vielen Weitläufigkeiten, Fruthum, und schädlichen Opinionen Anlaß geben. Vid. p. 4. Fusius hanc rem persequitur Potgieterus Lib. V. cap. 1. de Statu seruorum: qui simul de hac Meuii comminatione ita iudicauit. „Hos interest insignis Germaniae ICtus, David Meuius, tametsi non vbius legem, quam aliis dixit, ipse seruauerit. Nam in eo cum aliis in hunc scopulum impegit, quod, communii illorum temporum vitio, consilio suo de vindicatione rusticorum, germanice inscripto: Von Absfolgung der Bauren multa ex legibus Romanorum atque ex Glossatorum lutofis lacunis immiscuerit. Nihilo secius tolerabilius illius est tractatio quam quorundam aliorum &c.“ Is vero scriptor praestantissimus, qui magno doctrinae apparatu statum seruorum ex antiquitatibus Romanis aequo ac Germanicis illustravit, eodem modo, quae aliis consilia dedit, ipse non semper secutus est. Neglexit enim indagare genuinum fundamentum seruili subiectiōnis, quod internis cuiusque prouinciae constitutionibus constat. Atque inde profiscitur tam diuersus rusticorum et subiectorum status in diuersis regionibus. Non inconsulto egisset Potgieterus, si animum aduertisset ad hanc Meuii observationem quam profert loco laudato p. 13. Worinnen aber der Unter-

§. 7.

Quos Saxonia colonos habet, agros illi quidem aut emtionis, aut hereditatis titulo acquisuere, canonemque domino emphyteuseos iure praestant. Tributa atque onera prouincialia proxime inhaerent ipsi fundo coloni, qui praeterea libera facultate pollet cuiusuis emolumenti ex fundo suo percipiendi, quod percipi iure dominii potest: nec quidquam ei obstat, quo minus eum alienet, permutet, aut donet, item, aut mortis causa, aut inter viuos, de eo statuat. Quodsi quis colonus ad inopiam vergat: tum nec tributa principi soluuntur, et in caducis est, vti aiunt, gleba, manetque deserta, dum nouus emphyteuta colendam accipiat.

§. 8.

Quoties porro in Saxonia inter dominum equestris praedii eiusque colonum de seruitiis aliisque causis lites oriuntur, toties hae optimo iure secundum iudicij formam ac rationem cognoscuntur: nam de suo litigat colonus. Ita et hi agrestes in Saxonia proprie non Dynastae, sed potius ipsi principi subiectionis vinculo parent: quare et ab hoc solo remissionem tributorum onerumque prouincialium impetrare debent.

§. 9.

Secus haec omnia reperiuntur in Lusatia inferiori. Hic enim, vti iam dictum est, nullum omnino dominium eius partis fundi, quam gratis a domino accepit, homo proprius,
seu

Unterthanen Dienstbarkeit und Freyheit, so viel sie beyder theilhaftig seyn, bestehet, lässt sich in vniuersum nicht wohl beschreiben; angesehen daben ein jedes Land und Territorium seine eigenen weisen Gerechtigkeiten und Gebräuche hat,

seu glebae adscriptus sibi adserere potest: tamen nihil secius longa possessione aut sibi ipsi, aut liberis suis ius quoddam valet acquirere: nam et iure Romano serui habere, possidere non possunt. Qui ergo glebae sunt adscripti, et si iure proprio et in suam ipsorum utilitatem non valent quidquam possessione acquirere: tamen, iudicio possessorio apud Lusatios inferiores introducto, possessione sua domino ad acquirendum prodesse possunt: veluti, si doceatur, alienum fundum eiusue partem ab eiusmodi homine proprio possessam esse per legitimum usucaptionis tempus, perinde hoc fuerit, ac si dominus ipse possedisset, adeoque ad acquirendum suffecerit. Hactenus et Romanorum placita, ex quibus domini per seruos acquirunt, ad Lusatios glebae annexos applicari posse, nemo in dubium vocabit.

§. 10.

Caeterum, si quidem sententiam nostram dicere permittatur, ingenue profitemur, haud absurdum nobis vide ri, si quis eam coniunctionem, quae domino fundi Lusatiae inferioris cum suis colonis seu glebae annexis intercedit, comparare voluerit cum nexu parentum et liberorum. Patrem, videmus, primo suasorem magis quam iussorem esse, lenibusque verbis vti, ad liberos hortandos; deinde, ubi inobedientes aut pertinaces cognouerit, seueriori castigatione fungi. Par ratio domini est in officio continentis homines proprios: namque horum conseruatio ipsi quam maxime debet curae cordique esse, tamquam liberorum suorum. Vnde et hoc sequitur, bonum dominum colonis suis, si citra culpam eos necessitas atque indigentia premat, subsidia vitae largiri, tum, si quis eos turbare aut ad litem trahere

trahere voluerit, ipsorum iura defendere ac tueri, denique, vbi ad incitas summamque paupertatem redacti fuerint, eosdem vna cum liberis eorum alere. Annon igitur aequitas suadeat, ut et domino vicissimi liberior imperandi facultas detur, cum ad haec omnia se obstrictum sentiat? Seruum, adhortationibus monitisque refragantem, quidni liqueat a gleba depellere, ac per litteras manumissionis rumpere vinculum seruitutis omnisque inde profectae obligationis?

§. II.

Nec minori similitudine pares liberis seruos deprehendimus in eo, quod et hi quoddam peculium habent, sed longe illud quidem diuersum a peculio liberorum, qui potestati parentum subsunt. Positum est enim in iis, quae, praeter glebam domumque ac supellectilem agrariam, homo proprius possidet: ut verbo rem dicamus, exceptis, quae a domino accepit, caetera omnia hoc peculio continentur, siue ex ipso agro sint, siue aliunde quaesita. Fruiturque in his seruus glebae adscriptus pleno dominii iure, atque omnis generis conuentiones valide init, hac tamen semper lege seruanda, ne quid inuito domino faciat, alienetue. Obstringitur potius ad res venales, quae sunt in potestate sua, domino fundi prae omnibus aliis offerendas. Saluum itaque semper manet illud principium, quod ante posuimus: dominium agri, domicilii, atque instrumenti rustici, a domino accepti, nullum omnino tali seruo asseri posse; nimirum possidet ille quidem, sed non habet.

§. 12.

Neque vero silentio praeterendum est, quam potestatem dominus in hominem proprium exercet, ei exceptiones obstare nonnullas: habet enim suos illa limites ac terminos, quos egredi non debet. Ita seruo facultas datur

D

contra

contra domini iussa et decreta prouocandi ad Regimen prouinciale Lusatiae inferioris (Oberamtsregierung,) nec dene-gatur illi actionem contra hunc mouere: quod si non lice-ret, iniquitati et iniustiae facilis muniretur via. Sane, no-stratisbus glebae adscriptis omnia humanitatis iura pariter at-que aliis competere, dubio caret, omnesque consentiunt, feuera Romanorum iura, quibus sunt in seruos vni, repugna-re institutis patriis, neque umquam esse apud nos lege qua-dam aut moribus recepta. Quod autem nonnulli iura ho-minum priorum eo usque volunt extendi, ut his in Lu-satia inferiori permittatur super agris, item seruitiis praef-standis, cum domino litigare, in eoque per omnia sequi so-lennem formam, quam exigunt iudicariae leges, id, illi meminerint, prorsus pugnare cum constitutionibus Lusa-tiae¹⁾ ipsaque adeo aequitate, propterea, quod sumtus in litem factos quasi ex patrimonio domini seruus soluit; alia enim bona hic non habet, nisi quaesita ex agris gratia domi-ni concessis. Detimentum igitur non potest non ex his cum seruo litibus capere dominus, ac, siue victor exsriterit, siue perdiderit causam, perinde erit. Nam etiam si vicerit, de-teriorem tamen nihilosecius conditionem ipsius reddit ser-uus solutione expensarum in litem factarum, quae nisi ex re

¶ Non solum anno 1662 prouinciae illo tempore praefectus (Land-voigt) litteris patentibus palam fecit: „Dass zwischen Obrigkeit und Dero Unterthanen keine Weitläufigkeit verstatte, und jeder Unterthan sich allein Ungehorsams gegen seine Obrigkeit enthalten soll;“ Sed etiam Instrumento supremae inspectionis (Ober-Amts-Inspection) sanctitum est: „Dass Sachen, die zwischen Obrigkeit und Unterthanen vorfallen, ohne einige Weitläuf-tigkeit abgethan werden sollen.“ Causarum item patronis iniun-ctum Ordinatione peculiari (Advocaten-Ordnung): „Dass sie alle Behurksamkeit anwenden, und sich bey der Ober-Amts-Re-gierung Bescheides erholen sollen, ob sie die Sache eines unge-horsamen Unterthanen anzunehmen hätten, oder nicht.“

re domini solui vix possunt. Atque etiam exempla non pauca exstant hominum priorum, qui, propter litis sumptus maiores facultatibus suis, necessitate coacti fuerunt ad glebam deferendam. Damnun igitur domino inde emergens quis non videt? Ac profecto sanae rationi nihil magis conuenit, quam lites, inter dominum fundi hominesque proprios subortas, illico atque in prima statim audientia decidi, siue pro domino causam siue pro seruo stare cognoscatur.

§. 13.

Ex his omnibus iam liquet, summam aequitatem esse legum constitutionumque Lusatiae inferioris de nexu inter dominos ac seruos statuentium. Nec minus inde apparere, arbitramur, obligari dominum ad seruum defendendum, si huic ab alio lis moueat. Idem enim glebae adscriptus intuitu praedii nec conueniri ab alio, nec ipse alium conuenire potest: nec permittitur ei comparere in iudicio; sed dominus semper ei assistere interueniendo, litemque pro eo persequi debet. Quae omnia consequuntur ex eo, quod, vti iam saepe diximus, omni dominio fundi sibi concessi seruus destituitur. Quamobrem errare nobis videntur, qui dominum, putant, mandato egere, si seruum suum in causis ad glebam pertinentibus defendere velit, eundemque, pariter vt alios intervenientes, obligari ad demonstrandum id, quod sua intersit in gerenda lite. Enimvero ex ipsa natura praedii talis fluit, mota de eo lite, plus domini interesse, quam subiecti, vtpote dominio penitus nullo instructi. Eadem ratione pendet ab arbitrio domini, si causam legitimam habeat, hominem proprium ab una gleba in alteram transferre: id quod ei liberum haud foret, si, qui eius potestati subest, homo proprius verum glebae, cui adscriptus est, dominium sibi asserere valeret. Hoc loco

D 2

non

non inopportunum erit monere , glebam non a possessore nomen sortiri , sed possessorem secundum glebam nominari , atque id propterea fieri solere , quod saepissime mutantur possessores fundorum : vnde varia confusio posset perturbatioque oriri , si cum possessore mutanda ipsius glebae denominatio foret.

C A P . VII.

DE SERVO SEV HOMINE PROPRIO
LVSATIAE INFERIORIS

§. 1.

Hominem proprium , seu glebae adscriptum , in Lusatia inferiori , dicimus eum hominem liberum , qui sub acceptione gratuita villaticae habitationis agrorumque domino equestris praedii promisit sanxitque , se numquam non seruitia atque onera pro his beneficiis praestanda praestitum , item ex eius iurisdictione ac territorio nec se nec liberos suos vñquam esse migraturos . Quodsi eiusmodi seruo licitum foret , deserere agrum aut alio migrare : dominus fundi non modo in re agraria laederetur , verum etiam onera de praedio derelicto soluere ipsum oporteret.

§. 2.

In descriptione autem hac nostra deliberato consilio diximus hominem eiusmodi subiectum in Lusatia inferiori liberum esse debere : nam talis si non esset , fundi dominus eum glebae sua adscribere haudquaquam posset ; vero potius domino integrum semper ius maneret eius vindicandi . Qua de specie fanicum est Ordinatione Provinciali "), eius-

") Tit. II. §. 9. Welcher nun ohne erlangte Erlaßbriefe und Kundschaft seiner Obrigkeit aus dem Gerichte und Obmäigkeit an andern Ort sich begie-

eiusmodi seruum , qui sine impetrato manumissionis instrumento prioris domini glebam dereliquit , atque in alterius potestatem clam palamue sese transtulit , posthabitibus ambagibus , omissaque difficultate cause cognoscendae , a pristino domino vna cum vxore , liberis rebusque omnibus , quas fugitiuus secum abstulit , vindicari posse , nouumque dominum obligari ad restituendum seruum , sin detrectet , aut protestari super ea causa non dubitet , ad multam quinqa- ginta imperialium soluendam adigi .

§. 3.

Quoties vero aliquis liber homo ad glebam , seu partem agrorum , a fundi equestris domino accipiendo , sese offert , declarata hoc nomine voluntate vel disertis verbis , vel ipso facto , h. e. constituto villaे domicilio , quod ei dominus concessit , toties eo ipso sit homo proprius seu , glebae adscriptus , vti loquuntur verba Ordinationis Prouincialis ").

D 3

§. 4.

begiebet , soll von seiner Obrigkeit mit Weib und Kind , auch allen aus dem Gute , daraus er entwichen , entwendeten ic. ohne einigen Proeß auf bloßes Angaben und Bescheinigung ic. hinwieder revocaret , in Haft genommen und wieder an den Ort mit allem Hab und Gut gebracht , auch von der Obrigkeit , unter welcher er sich heimlich oder öffentlich die Zeit über begeben und aufgehalten , unweigerlich bey funfzig Reichsthaler Ober - Amts - Regierungsstrafe abgesolger , und dem rechten alten Herrn alle gerichtliche Hälfte und Besförderung gehan und geleistet werden .

n) Tit. II. In Prooem. Wenn einer von einer andern Obrigkeit frey und ledig sich unter einer Jurisdiction und Bothmäßigkeit beständig untergiest und niederläßt , und solch sein Gemüth durch Annahmung eines Bauerguts , Garten , oder Kossätenhütte , oder andre in Rechten gegründete Actus und Bezeugungen in der That wirklich bezeuget ic. Conclusio sequentibus continetur his verbis : So ist er ic. wenn er nur , wie ob bemeldet , sich seßhaftig und dienstpflichtig gemacht , für einen Unterthan zu achten .

§. 4.

De' officio autem atque obligatione huiusmodi hominis proprii, sive potius de natura atque indole subiectionis, ad quam is acceptione glebae redigitur, sic statutum reperitur Ordinatione Prouinciali ^{o)}: Non ipsos solum seruos, sed liberos etiam eorum, habendos esse pro veris pariter hominibus propriis Domino fundi subiectis, hac quidem conditio ne ac lege, vt et parentibus et liberis facultas adimatur, ex domini territorio ac iurisdictione sine scriptura manumissionis discedendi, aliamue potestatem subeundi. Praeterea, ut iam superius dictum est, iure suo dominus cogere talium subiectorum liberos potest, vt aut patriam glebam, aut aliam, quamuis in alio Lusatiae pago eundem dominum habente sitam, accipient: de quo videantur, quae laudauimus ex Ordinatione Prouinciali ad §. 6. Cap. VI.

§. 5.

Nec potest negari, solam acceptationem partis agrorum praedii equestris ex libero homine seruum eiusmodi efficere; nulla enim ratio habetur magnitudinis agri, cum necessaria seruitutis Lusatiae inferioris natura in eo constat, ut habitatio villatica, seruo concessa, pertineat ad rem agrariam praedii equestris, neque inhabitatio possessioue domus alicuius, titulo conductionis, emtionis aut simili acquisita, proprium hominem reddat. Ita opifices in praedio quodam Lusatiae inferioris habitare, atque etiam domum

^{o)} Tit. II. §. 3. Wann nun einer durch einen gewissen Vertrag sich unterthänig gemacht, ist nicht allein er, sondern auch alle seine Kinder, so viel er derselben nach dem Vertrage oder Annahmung des Gutes zeige, für rechte und wahre Unterthanen zu achten, und können, so lange sie, oder ihre Eltern, durch einen Lassbrief, oder sonstigen, von dieser Unterthänigkeit nicht befreyet, unter andere Herrschaft sich nicht niederlassen, noch unterthänig und dienstpflichtig machen.

mum ibi comparare possunt citra periculum assumendae conditionis proprietorum hominum. Hoc tamen extra omnem dubitationem positum est, ita posse aliquem voluntatem suam significare, vt, habitationem villaticam, dicat, gratis se velle in posterum accipere, interea vero seruitia praestare domino: quod si fit, nihilo secius homo proprius redditur eius domini, cui se his conditionibus obtulit, et cui iam, quod supponitur, praestitit iusurandum subscriptionis. Sed quaestio moueri possit haec: An dominus fundi, postea isti seruo domicilium villaticum concedere recusans, manumissionis ei litteras dare, atque hoc modo ex seruitute eum dimittere debeat? Quod vtique affirmandum existimamus: etenim par ratio est liberorum glebae adnexorum, quos dominus, si neque agros colendos ipsis tradere, neque aliter eos alere potuerit, vel ad tempus, vt interea aliis in ditionibus seruire possint, vel in perpetuum manumittere tenetur.

§. 6.

Quae cum ita sint, constare, intelligimus, aequitatem necessitatemque seruitutis, quae in Lusatia inferiori obtinet, cognoscique hac ex ratione, quam ante attulimus, quod in solidum obligatur fundi dominus ad praestanda, quae inherenter praedio equestri, onera, quodque homini proprio certis conditionibus fundi partem, nullo pretio soluto, i. e. iure lassitico concedit. Postulat igitur aequitas, eidem illi domino securitatem praestari de adimplendis conditionibus, sub quibus villam, seu praedii partem, seruus gratis accepit. Ecquid existiturum esse, aut quantum iniustitiae factum iri, iudicandum est, si domino, qui partem agri cum casa, horreo, horto, item cum segete, armentis instrumentisque rusticis gratis seruo tradidit, nulla omnino

ominino daretur potestas huius compellendi , vt in domicilio villae permaneret , nec sine ipsius consensu inde discederet ? Annon futuri essent , qui , per certum annorum spatium , agris omnibusque concessis vii , deinceps villam deuastatam fugitiui relinquerent ? Quae fraus vt caueretur , ita seuere de vindicandis recuperandisque his transfugis praceptorum reperimus in Ordinatione Prouinciali Tit. II . §§. 9. 10. 11. et 12.

§. 7.

Sed in hoc quoque non exigua aequitas cernitur , quod ad posteros hominis proprii extenditur subiectio , vt et liberi eorum nascantur serui , et glebae adscripti . Victum enim hi et alimenta capiunt ex iis , quae ipsorum parentes in villa seu gleba sibi acquisiuerent . Nec minus inde elucescit aequitatis ratio , quod , si fecus esset , glebae parentum saepenumero vacuae a colonis , post priorum discessum , mansurae , dominoque inde maxima damna emersura essent . Denique , cum liberi , vtpote legitimi haeredes , in omnia parentum bona , eorumque iura et obligationes succedant , ex eadem ratione iustum non minus quam aequum videtur , ab iis seruitia praestari domino , si quidem hic non alio confilio parentibus eorum dederat , quicquid necessarium atque idoneum esset ad nanciscenda bona , quorum nunc haeredes facti sunt liberi . Neque suspicamur , fore , qui repugnantiae nos incusent , quod hominem proprium dicamus haeredem posse instituere , aut etiam , vt afferuimus , liberis ab intestato relinquere haereditatem . Licebit enim reminisci , quae iam Cap. V. §. 11. scripsimus de horum seruorum in Lusatia inferiori peculio , cuius causa et ipsi valide testari possunt , et eorum liberi optimo iure ab intestato succedunt . Requiritur autem , vt omnes solennitates iure praceptorae ita , vt ab liberis hominibus exigitur ,

in

in testamentis adhibeantur, neque alio, quam communii, iure legitima successio censemur. Curatores a dominis vi-duae accipiunt, tutores minoribus dantur. Atque huc pertinent ii loci Ordinationis Prouincialis, quibus de haere-ditate agitur.

§. 8.

Si quis nunc de liberis ante acceptam glebam natis quaerat, vtrum et hos iugum seruitutis, vna cum eorum parentibus, subire oporteat, is sciat, anticipitem hanc quaestione manuisse usque ad annum 1671. Quo tempore ita sublatum dubium est, vt ad illos etiam, de quibus modo locuti sumus, subiectio porrigeretur. Neque id sine iusta causa. Nam certus hoc modo dominus eorum redditur, qui ad defendendos alendosque obligatur. Nulla igitur his priuatio inde accedit, neque ipse dominus damnum patitur, qui, etiamsi parentum haeredes facti fuerint in bonis ex gleba quaesitis, tamen vicissim lucrum percipit ex seruitiis, ad quae ipsis praestanda eos pro iure suo cogit.

C A P . VIII.

DE GLEBA HOMINI PROPRIO CONCESSA
SEV PRAEDIO QVOD VOCANT
LASSITICO

§. I.

Villam, quam accepit eiusmodi colonus in Lusatia, et cuius causa factus est homo proprius, Lassiticum praedium liceat appellare. Et quamquam hoc argumentum satis copiose persecutus est Ioh. Petrus de Ludwig in Iure clientelari: tamen tota eius disputatio praediis Lassiticis inferioris Lusatiae minus conuenire nobis videtur: quod vel ipsa rei definitio, quam suggerit, non obscure ostendit.

E

dit.

dit. Ita autem ille Sect. III. Cap. V. §. V. Praedium Lassiticum, inquit, est id, quod ea lege locatur, ut pro arbitratu tantum locatoris queat reuocari. Hac in descriptione, ad praedia Lassitica Lusatiae si conferre voluerimus, duo desiderari putamus posse, primum, quod haec non locantur, sed certis oblatâ conditionibus accipiuntur: deinde, quod nequeunt arbitratu locatoris reuocari, sed contra, quoad is, qui acceptauit, conditiones non detrectat implere, vim suam seruat conuentio, neque resolutio villo modo potest.

§. 2.

Rectius itaque nobis finiendum erit hoc fere modo: Praedium Lassiticum Lusatiae inferioris arbitraria pars est praedii equestris, quae accipienti cum omnibus accessionibus, ad habitationem et agrum colendum necessariis, proprietate penes dominum manente, confertur, certis sub conditionibus, maximeque hunc in finem, ut dominus in agricultura onerumque publicorum praestatione subleuetur, vtque accipiens hoc ipso acceptationis facto homo proprius existat.

§. 3.

Partem arbitrariam equestris praedii diximus: etenim ab arbitrio domini patrimonialis pendet, qualem quantumue fundum velit adsignare, nec minus accipientis voluntati relinquitur, velutne, propositis conditionibus subjiciendo, accipere, quod est oblatum.

§. 4.

Hoc autem ad necessariam praedii Lassitici naturam requiritur, ut glebae seruo traditae sumtæ sint ex integro praedio equestri. Nam et hodienuin ita fieri solet, vt, si quis dominus fundi nouum colonum, sive hominem proprium sibi adsciscere velit, primum partem agrorum suo-

suorum deligat, deinde locum domicilio aedificando, item horto instruendo idoneum quaerat, atque haec omnia denique nouo illi colono conferat sine pretii alicuius solutione: quod ipsum denuo insignem notam constituit fundi Lassitici, ne sit emtum, alioue onerofo titulo comparatum.

§. 5.

Hoc negotium cum inter dantem et accipientem geratur, proprie nihil aliud, quam contractum bilateralem esse, apparet, quo praedium villaticum iure inferioris Lusatiae offertur atque acceptatur: ergo et ab vtraque parte seruari eum debere, intelligitur, neque vnum posse, inuito altero, a conuentione discedere.

§. 6.

Quare, vt dictum est, toto coelo differunt haec praedia ab his, quae locantur, et quae locatores, finito tempore locationis repeteret, atque alii cuidam locare possunt. Cuius generis sunt praedia Lassitica Saxoniae, de quibus conferenda est Constitutio XL. Augusti, porro, quae habentur in terris Meklenburgicis, teste Husano de hom. propr. Cap. II. p. 31. item in Bauaria, de quibus vid. Schmidius ad statum Boioar. Tit. 21. Art. 4. No. 3. 4. 5. quorum possessores dicuntur *Herrengüntler*. Simile genus praediiorum Lassiticorum conspicitur in terris ad Rhenum, quorum possessores nominantur *die Landsiedler*¹⁾, aliudque in terris Brunsvicensibus, nomine *der Schillingsgüter*²⁾.

E 2

§. 7.

- p) Die Landsiedeley, ob sie wohl dem Beständer, mit Zusag der Worte und seinen Leben, geschieht, so ist sie doch nicht erblich, sfern darum auch diese Worte zu Landsiedlern Rechten gefunden werden: sondern der Lehnsherr, wenn er seine Güter zu sich zu nehmen begehr, kann dem Beständer dieselben wieder auffändigen, ob gleich derselbe sich sonst aller Gebühr bewiesen hätte. Conf. Solmensis Statuta Part. II. Tit. 7.
- q) Schillingsgüter empfängt ein Bauer mit einem Schilling; so kann man ihn mit einem Schilling wieder davon fändigen. Klammerus Tit. II. Promptuarii p. 282.

§. 7.

Sed quanquam dominus praedii hominem proprium e fundo Lassitico in Lusatia nostra non potest pro arbitratu expellere: tamen nec vicissim huic facultas datur in isto praedio, quasi haereditarium foret, libere agendi, aut quicquid voluerit, de eo statuendi. Profecto et aequitas et ipsa iustitia violaretur, si domino fundi licitum foret, per seueritatem, aut vtilitatis priuatae cupiditatem, aut aliis de causis ambiguis, seruum expellere de villa, eamque aut sibi reuocare, aut alii conferre. Quo magis confirmatur hoc ipsum, qua obligatione isti homines proprii alligantur, eam diiudicari semper debere secundum humanitatem: namque illi omnia caeterorum hominum iura habent, nisi quae ipsis ademta vel restricta sunt hominis proprii conditione, de qua supra. Ex quo cognoscitur, quam sit absurd a eorum opinio, qui, hos seruos, putant, parum distare a brutis in dominio constitutis, quae pro lubitu ac sine vlla ratione transferantur eiificanturue a domino nolente diutius ea retinere.

CAP. VIII.

DE CONDITIONIBVS QVAE PRAEDIO LAS-
SITICO ADIICI SOLENT

§. 1.

Villaticae habitationes, vti monuimus, colonis sine pretiis vlliis solutione conferuntur, hoc vno consilio, vt rem agrariam domini praedialis operarum praeestatione iuuent, eumque in soluendis oneribus publicis, quae nostra lingua Schatzung dicuntur, subleuent. Propterea obstringunt se coloni ad sustinendam horum onerum partem, cuius magnitudo semper diiudicatur ex glebae magnitudine, atque etiam adhaerentibus huic priuilegiis.

§. 2.

§. 2.

Solent autem, ut singula suum ordinem teneant, et euntur omnes controuersiae, in scripturam redigi vniuersae illae praestationes conditionesque, ac tum in iudicio deponi: quale instrumentum *Vrbarii* nomine venit. Atque in ipsa receptione colonus iurare debet de seruandis, quaecunque huic *Vrbario* sunt inserta. Neque tamen negandum, existere in Lusatia inferiori praedia equestria, *Vrbario* eiusmodi destituta per negligentiam. Sed in his inter dominum et colonos magnae non raro contentiones oboriuntur de praestationibus: quarum litium decisionem vtique petendam esse, dicunt, ex consuetudine, cum aliud praefidum non exstet. Ita plerique. Nobis autem vnius alteriusue partis damnum metuendum videtur, si hae lites inter dominum seruosque secundum consuetudinem dirimi debeant; potius itaque respiciendam putamus conditionem glebae concessae. Posset fane facili negotio effici, ut certis legibus constitueretur, quantum agri de domini praedio assignandum esset colono, atque etiam, quanta seruitia in compensationem eius, quod a domino accepisset, praestanda imponerentur. Ita genus quoddam est glebae adscriptorum, nomine *der Ganz Bauern*, qui plures operas maioresque praestationes debent, quam, qui dicuntur *Cossaten*: etenim maiorem illi partem glebae accepere. Foret autem necesse, ut certae redderentur fundi portiones, ac deinceps pro haurum latitudine certus operarum praestationumque modus poneretur, quas cuique generi adscriptorum iniunctas esse, constaret. Hac ratione, si qua controuersia emergeret de his, quae praestari deberent, in aprico foret alterutrius iuritia, dominusne in exigendo modum excederet, an seruus, quod eum praestare oporteret, denegaret. E contrario, quoties probandum est ex consuetudine aut possessio-

E 3

ne

ne vel quasi, turbationi dannisque locus facillime suppeditatur.

§. 3.

Profecto iniquum nobis videtur, hominem proprium Lusatiae inferioris, per villatici negligentiam indulgentiamque, aut per administratoris corruptionem, sibi facultatem quandam comparare posse iurium domini impune minuendorum. Huius ius, quod originem trahit ex ipso pacto, in glebae concessione inito, nonne antiquius est ea consuetudine, quam colonus per fraudem introduxit, et nunc profet allegat? Inde nouo documento comprobatur, ad demonstranda iura dominorum hominumque proprietorum male consuetudines adhiberi.

§. 4.

Vbi vero de tempore disceptatur, quo seruitia praestari ab homine proprio debeant, dici non potest, quam inceps in hac causa prouocetur ad consuetudinem aliquam possessionemque vel quasi. Certa enim hactenus seruitia sunt secundum Ordinationem Prouincialem, ut singulis diebus ab ortu solis usque ad occasum labores quoscumque peragi oporteat. Quod si ergo singamus, abesse dominum, aut negligentes in officio versari vel indulgentes, qui a domino turbationis prohibitionisque causa praepositi sunt, ac seruos, propterea forte incurios leuesque factos, tardius ad operas venire, atque ita pergere per aliquod temporis spatium: tum procul dubio in possessione vel quasi constituentur, et contra dominum seruitia consueta exigentem exceptione tueri se posse existimabunt. Exorta igitur lite, si quis iudex, expers discriminis, quod inter Ius Romanum Lusatiaeque inferioris leges intercedit, ita sententiam tulenter, ut in possessione vel quasi tueatur colonum, pro norma deci-

decidendi consuetudinem assumens, is, nostro quidem iudicio, contra iustitiam pronunciauerit. Nihilominus hoc et potest et solet euenire in iis praediis, in quibus operae seruorum Vrbario non sunt definitae, atque vbi per abusum, vt diximus, eiusmodi lites secundum consuetudinem et ex argumento de possessione deciduntur. Qua de re ita loquitur Potgieserus Lib. V. Cap. II. §. XXXIX. p. 879.
 „Sola possessione vel quasi libertatis quisquam aduersus ex-
 „gentem operas se tueri potest, quoniam quasi possessio
 „nihil efficit contra eum, qui actionem habet iure comun-
 „ni subnixam.“

§. 5.

Quod autem glebas inter colonos seu homines proprios distribuit praedii dominus, in eo haud dubie hunc habet primarium finem, vt agricultura ipsi facilior reddatur. Vnde et presumendum, adminicula eum cupere, ad consequendum finem necessaria, quae posita omnino sunt in conditionibus sibi proficuis, quas cuique colono iniungit. Ac de tempore quidem operis faciendis statuto ita res ordinata est, vt sole oriente exeat casa colonus occidente ad eam reuertatur. At ipsarum operarum ratione, quales esse debeant, nihil certi asseri potest: omnia enim ex conventionibus pendent, quas singulatim domini cum colonis inierunt. Melius certe consultiusque foret, generale totius prouinciae Vrbarium confici: cuius rei vilitatem ac fructum iam perspexit Maria Theresia, cum nuper in Bohemiae regno sanciret, vt omnia praediorum equestrium vrbaria litteris mandarentur, nouaque conserberentur in iis praediis, in quibus prorsus adhuc deficerent, ac deinceps ad Regimen mitterentur.

CAP.

CAP. X.

SINGVLARIA QVAEDAM AD HOC
ARGVMENTVM

§. 1.

Quanquam est extra omnem dubitationem positum, omnes villas hominum priorum Lusatiae inferioris ab origine praedia Lassitica fuisse: tamen successu temporis coepere domini fundorum illas glebas vendere colonis sibi subiectis. Quod quibus causis inducti fecerint, certa ratione demonstrari vix potest, praesertim cum plures easdemque diuersas cogitare liceat. Putauere illi fortasse, colonos, cum iam, adquisito dominio, post mortem suam liberos suos retenturos fundum esse, scirent, maiori cum studio hunc curatores esse, h. e. tum de seruandis reficiendisque aedibus, tum de colendis agris sollicitos magis fore. Forsttan etiam dominis illud suasere patrimonialis eorum iurisdictionis administratores, expensis iudicialibus, vt fit, audiens inhiantes. Solent enim omnino crebriores lites extere, glebis alienatis, quam remanentibus in dominorum proprietate. Ut vt res habeat, eas exiguo pretio, cum vero soluendo impar esset emtor, vendidere, rati, nunc omne incommodum, ex seruitute alias oriundum, ita sublatum esse. Neque tamen nouos glebarum dominos, venditione factos, equestris fundi possessori licet postea pro luctu expellere, etiamsi onera de suis villulis praestare non valent; neque tolli vlo modo potest illius obligatio de toto equestri praedio, si vel maxime partem huius alienauerit, publicorum onerum soluendorum.

§. 2.

Ac si verum velimus fateri, eiusmodi alienationes, pariter vt ipsam seruitutis abrogationem, in nostra prouincia com-

commodo atque impune fieri posse, iudicamus, dum, fundo alienato, domini obligatio praefundorum onerum de qua ante diximus, vna exstinguatur, colonisque ipsis, pro sua cuique parte fundi, haec eadem imponatur. Sed nullum exstat argumentum probabile, talem mutationem principi vñquam probatum iri. Ad haec plus danni, quam utilitatis, domino ex ea villularum alienatione nasci posse, vel inde patet, quod ita alienatae saepenumero deseruntur: cuius tamen rei cauendae ac vitandae consilium illi est, cum proprietarium efficit seruum glebae, alias iure tantum lassitico concessae. Sic adeo deterior illius fit conditio, qui et alioquin iam forte, istius finis obtainendi causa, sibi nocuit eo, quod modico pretio glebam vendidit, de qua, etiamsi deferta posthaec manet, nihilosecius secundum constituta Lusatiae inferioris, vt dictum est, publica onera soluit, nec tamen operarum fructum percipit. Atque etiam inde detrimenti haud parum capere dominus potest, quod, qui talam glebam emit, non prohibetur litteram cum eo gerere secundum omnem iudicij solemnitatem: quam et tum seruari oporteret, si obaeratus decederet glebae possessor; vbi exstirurus esset immortalis creditorum concursus: aut si quis, vt alio exemplo vtamur, aufugeret e gleba, ac persequendus foret litteris publicis, quas arrestatorias vocant, edictoue publico citandus ex ordinatione iudicaria, priusquam creditores, in quibus vel ipse dominus vel alii forent, in bona derelicta immitti decerneretur: atque ita ipsam fugitiui glebam alii colendam conferre neutiquam liceret, donec lis per subhastationem tota finita esset, cum tamen interea dominus, quamvis operis priuatus, ad onera publica soluenda cogeretur.

§. 3.

Mouentur adhuc aliae quaestiones , satis illae quidem ambiguae , veluti : An possit colonus , qui glebam emit , eandem vni ex filiis relinquere , caeteris liberis in legitima institutis ? Nullis autem liberis exstantibus , an ei liceat alium agnatum cognatumque , atque , his etiam deficientibus , extraneum quendam glebae haeredem scribere ? Porro , si fingamus , ab intestato illum deceſſisse , atque haeredem esse liberum hominem , aut alii domino subiectum , quid fieri tum debeat ? An publico edicto citandi sint haeredes ? Quis interea seruitia rustica praefet ? quis onera publica foluat ? et quae sunt reliqua . Iure quidem Saxonico hae quaestiones haud difficiles fuerint diiudicatu . Sed in Lusatia inferiori multum difficultatis obiicitur eo , quod cauerri oportet , ne contra ius aliquod speciale aut consuetudinem decernatur . Semper obstaculo erit illa domini praedialis obligatio publicorum onerum praestandorum , atque inde profluens necessitas , qua , quicumque accipit glebam , idem et hominum proprietorum conditionem tenetur subire .

§. 4.

De ipsis praediis , sunt , qui quaerant : Vtrum dominus liceat , colonum ab una villa in alteram translocare ? Quod vtique affirmandum iudicamus , modo idoneas mutatae sedis rationes dominus afferat , probetque , insignem agriculturae utilitatem hac mutatione parari , colonum autem tantam agrorum pratorumque partem recepturum , quantum ei admittum sit . Hoc quidem nemo inficiabitur , non posse id dominum facere pro mero arbitrio , neque cum damno serui . Quamobrem relationes iudiciales , sive Registraturae , solenniter confectae , tum iuratorum agrimentorum testimonia , quibus , colonum nec in quantitate nec in

in bonitate agrorum damni quidquam passum esse, confirmant, aliaeque legitimae cognitiones, in controuersiis forte motis, probationis loco sufficere, arbitramur. Quodsi manifesta iniustitia domini appareat, haud dubio transplantatio ista prohibebitur. Sin seruus, pertinacia effrenatus, bonis domini consiliis repugnet, tum non sine rigore poterit iniungi domino ac praecipi, vt eum gratis manumittat aliquie glebam concedat').

§. 5.

Aliud praeterea quaesiuere sautores litium a seruis contra dominos suscipiendarum: An homo proprius villam possit vendere? Quod quam absurde quaeratur, facile intelligitur: non enim, nisi propria, alienantur: cui principio iuris nulla lege potest, neque consuetudine, derogari. Iam cum, vti saepius monuimus, nullum glebae dominium seruus habeat, inde et omnis illa quaestio corruit: alienationem enim effectum esse dominii, quis nescit? „Et, qui „eum alienare posse dices, qui agrum ne quidem, domino „inuito, deserere potest, vel alium substituere?,,“)

§. 6.

Ancipiit huius quaestionis solutioni occasionem procul dubio dedit quoddam typographi mendum, in aliquo loco Ordinationis Prouincialis admissum, quod reperitur Tit. II. §. 13. Agitur ibi de seruo fugitiuo, quem dominus, exploratum, cogit ad glebam recipiendam, posteaquam iam

F 2

in

- *) Merius l. c. propositam quaestionem simpliciter solvit hoc modo:
Dieses ist der Herrschaft nicht unbekommen, die Bauern von einem Hause auf den andern zu versetzen. Denn hierin ist der Bauer der Herrschaft zu Willen zu seyn schuldig, und weil er Wohnung und Acker, davon er sich erhalten und Dienste leisten kann, wiederum bekommt, hat er sich frey zu machen keine Ursache.
s) De Ludwig in Iure clientel.

in alias domini ditione villam nouiter accepit. Sunt autem verba Ordinationis haec: Demjenigen aber, so immittelst ein Bauergut, Garten, oder Kossätenhütlein angenommen, soll, nach Gelegenheit der Umstände, ein Jahr, Halb- oder Viertel - Jahr von der Obrigkeit Frist ertheilet und gelassen werden, binnen welcher sie die angenommene liegende Güter außer den Mobilien und Fahrniß verkaufen und sonsten geloosen, auch derjenigen Obrigkeit, darunter sie sich gesetzt, und die ihnen, in Hoffnung sie beharrlich zu behalten, ein und andern Vorschub gethan, nach billigen Dingen möglichste Ertattung und Abtragung thun mögen. Haec dicta si secundum verba voluerimus interpretari, vobis **sie** referenda fuerit ad dominum (die Obrigkeit), atque ita omnis scrupulus eximeretur. Sed commentator Ordinationis Prouincialis, latens sub nomine Iulii Sidonii, vocem **sie** trahit ad seruum (Unterthan): vnde ineptissimam sententiam conatur probare, alienari ab homine proprio posse praedia (liegende Güter). Alii, mitiorem interpretationem secuti, seruo quidem Lusatiae inferioris, aiunt, in regula non licere villam alienare; sed hic in poenam domini, qui transfugam recepit, id iis permitti, putant. Nos autem neutri harum explicationum assentimur: e contrario illa nobis videntur conciliari posse hoc modo, vt, cum pronomen **sie** ad seruos pertinere sumitur, tum haud dubie in transcribendo, transposita particula seu praepositione **außer**, halucinatum sit, legendumque potius: binnen welcher (Zeit) sie **außer** den angenommenen liegenden Gütern, die Mobilien und Fahrniß verkaufen und geloosen. In hac explicandi ratione nihil existinamus inesse, quod legibus moribusque prouinciae repugnet. Ut enim constat, homines proprios nec villam, nec alia, quae a domino acceperunt, alienare posse, ita aequē certum est, dominum

minum destitui omni iure in res mobiles peculumque serui, atque adeo nihil hunc impedire, quo minus ea quo-uis modo transferat.

§. 7.

At fieri tamen posse, reiiciunt nonnulli, vt villam vendat colonus, si dominus permiseroit. Recte! quis enim neget? Sed nullus iam ea de re sermo: nam, quod non nisi domino consentiente fit, quomodo id seruus, vt ius pro se in regula constitutum, potest allegare?

§. 8.

Fortassis hic etiam locus fuerit differendi de iure retrouenditionis (Auskaufungs-Recht), quo dominus seruum, villa in hunc per venditionem translata, cogit, vt eandem retrouendat ipſi, qui remunerationis vice gratis eum manumittere tenetur. Sed de natura et indole huius iuris nondum omnia sunt ad liquidum perducta, cum verba Ordinationis huc pertinentia vix queant satis intelligi. Habantur autem haec Tit. IV. §. 12. Es ist auch ein Unterthan von seiner Herrschaft los, und ist den Erlaßbrief zu lösen nicht schuldig, wenn er von der Herrschaft wider seinen Willen ausgekauft wird — His verbis, iudicamus, non posse alium sensum tribui, quam quod loquantur ea de specie, quam ante attulimus, h. e. de colono, qui habitationem villaticam emtione sibi comparauit. Si quis enim ita intelligi velit, ius esse domino ac facultatem serui adigendi, vt ei vel inuitus vendat aedificia noua, in fundo domini ad meliorrem villae formam forte exstructa, ei obstat regula illa iuris, quod solo inaedificatum est, solo cedere. Nulla igitur hic emtione opus erit. Deinde, si vel maxime sumferimus, ordinationem prouincialem statuere de villa a colono in melius redacta, repugnabit et huic opinioni principium,

melio-

meliorem formam rei ab vsufructuario additam cum fructibus compensari.

§. 9.

Vltimo loco vnum singulare non piget huc referre, seruorum in Lusatia inferiori filias pro ancillis haberi, dum nupserint: contracto autem matrimonio forum mariti adsumere, subiicique potestati ei, cui hic subest. Qua ex re ne damnum dominus sentiat, introducta est laudabilis consuetudo, vt ante ab eo veniam petant nubendi.

§. 10.

Iam vero ex hoc capite pariter atque ex his, quae superius dicta sunt, elucere, speramus, cuius causa hunc temnem libellum in publicum prodire iussimus. Quamobrem finem scribendi faciamus, ne nimis longi simus in repetendis, quae nimis iam forte inculcata putabuntur. Ac, si quid videamus, argumentis non omnino contenendis nixa stat sententia haec nostra: Ius nec Romanum nec Saxonicum ad conditionem seruilem, quae in Lusatia obtinet, conferri posse, quin viuis alteriusue damnum priuatioque inde nascatur. Nihil iam nobis restat, quam vt lectores si qui nobis contigerint, quae hinc inde in hoc specimine minus recte dicta reprehensum iri, tenuitatis nostrae conscientiae praeuidemus ac suspicamur, eorum omnium veniam humanissime rogenus.




TPR 1371

ULB Halle
007 752 105

3



57.28. num



DE
NATVRA ET INDOLE
HOMINVM PROPRIORVM
IN LVSATIA INFERIORI
ADSPERSIS ROMANI SAXONICIQVE IVRIS
DIFFERENTIIS
EXERCITATIO

QVAM
SVB ABITVM EX ACADEMIA LIPSIENSI

SCRIPSIT

CAROLVS FRIDERICVS AB HEINEKEN
S. R. I. EQVES



MENSE MART. ANNO CICICLXXIV

LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA

